





*Sammelband von Dina*



*U. g. 1975*



POSITIONES  
DISPUTATIONIS ULTIMAE

*libri 3. Institut. Imp.*

DE MODIS  
TOLLENDARVM  
OBLIGATIONVM

*Ex tit. fin. eiusdem libri, & cognatis Iuris  
Civilis textibus collecta*

Quas

*Divinâ favente clementiâ*

SUB PRAESIDIO

*Nobilissimi ac Clarissimi Viri*

D. N. ARNOLDI DE REYGER,  
I. C. Præstantiss. & in celeberrima Acade-  
mia Ienensi, publici P. Profes-  
soris solertissimi

*Pro ingenij modulo defendere  
conabitur*

CASPARVS à TEVTLIBEN

Ad diem XVI. Aprilis

*Horâ locoq. consuetis.*

IENAE

*Ex Typographæo Tobia Steinmanni.*

Anno M. D. VC.





*STRENUO, NOBILISSIMO, AC AMPLISSIMO VIRO,*

DN. WVOLFGANGO à Pagf.

INCLYTORVM PRINCIPVM ANHALTINORVM  
&c. Capitaneo & Consiliario fidelissimo,  
ac dignissimo, Avunculo suo magno &  
fautori honorando,

*Observantia & benevolentia ergo  
mittit & offert*

*Casparus à Tentleben R.*







*Continuatio.*

EXpositis generibus obligationum, quæ tam ex  
veris, quam ex quasi contractibus descendunt,  
subjunguntur nunc, aliquot modi, quibus illæ ob-  
ligationes acquisitæ, quasi per distractum, ex parti-  
um voluntate tolluntur, ac extinguuntur.

**T H E S I S I.**



**O**BLIGATIONES AV-  
tem jure constitutæ, vel ipso jure  
tolluntur, vel ope exceptionis peri-  
muntur?

*In princip. inst. quib. mod. toll. ob-  
ligat. hic. Myns. ad rub. huius tit. nost.  
num. 4. Alth. lib. 1. I. R. cap. pen. & ult.*

2. Ipso jure dissolvuntur obligationes, quando  
omnimoda contingit liberatio, ita ut nulla ampli-  
us remaneat actio, quod fit solutione, acceptilati-  
one, novatione, & consimilibus aliis quibusdam  
modis.

*Inst. per tot. hunc tit. nost. l. si unus. 23. §. 2. V. Et si  
pactum ff. de pactis. Myns. ad rub. huius tit. num. ult.  
Vultei in I. R. lib. 1. cap. 52.*

3. Solutio est vera satisfactio, naturali præstatio-  
ne debiti, legitimè facta.

*Princ. Inst. hic. ibiq. Ves. & Myns. l. solutam. 49.  
ff. de solut. Vult. d. lib. cap. 53.*

4. Ea verò legitima debiti solutio est, plenamq;  
& solidam liberationem parit, quæ fit à personis





dissolvendi, & recipiendi debiti idoneis, justo loco, & tempore, eaque lege, quam ipsa contractæ obligationis requirit norma ac forma.

*Princ. Inst. h. t. ibiq. interpret. l. 1. & toto tit. ff. de eo quod certo loco. l. qui Roma. 122. ff. de V. O. l. tuto. 41. §. Lucius. 1. ff. de usuris, Cuiacius ad Novell. 4. Hot. quæst. illust. 24. Vulteius d. c. 53.*

5. Omnibus ergò, qui liberam rerum tam suarum quàm alienarum administrationem habet, volente nimirum, mandante, aut ratum habente creditore rectè solvitur, adeoq; etiam creditoris heredibus, quorum tamen si plures sint, cuilibet pro parte hereditaria solutio fiat.

*l. 12. 14. 28. 58. 81. §. 1. 106. ff. de solut. l. invito 12. C. eodem. l. 9. de administrat. tutorum, l. 6. de condict. indeb. l. 1. §. 36. ff. depositi.*

6. Nec illud ad extingvendam obligationem interest, quis solvat, utrum ipse qui debet, aut alius ejus nomine, utroq; enim casu regulariter contingit liberatio, sive sciente, sive ignorante, & invito eo dissolvatur debitum.

*In princip. Inst. hic. l. 23. ff. de solut. l. solvendo. 39. ff. de negotijs gestis.*

7. Furiosi verò, prodigi, minores, & id genus homines, sine tutorum & curatorum suorum, aut magistratus interventu, nec aliis solvere possunt, nec ipsismet rectè solvitur, nisi inde locupletiores facti, aut solutionis gratiâ contractui adjecti sint, vel pecuniam receptam adhuc salvam habeant.

*§ 2. Inst. quibus alienare licet vel non. l. 15. C. de administrat. tut. l. 3. §. 1. ff. de minor. Goed. ad l. 21. ff. de V. S.*

Invito



8. Invito quoq; creditori nec aliud pro alio, nec particulatim, nec alio loco aut tempore solvi potest, nisi obligatio alternativè concepta sit, aut certarum causarum favor & rei necessitas diversum interdum suadeat, vel debitor simul id quod interest, offerat.

*l. 2. §. 1. ff. si certum pet. l. eum à quo. 16. C. h. t. l. 4. §. 3. ff. de re ind. l. 21. §. fin. ff. de pec. const. l. 3. ff. fam. herciscund. l. 13. §. offerri. 8. de act. emt. Gail. de pignorat. obs. 16. num. 5. Gæd. ad l. 32. ff. de V. S. l. 85. l. 95. ff. hic. l. si in emt. 34. §. pen. ff. de contrahend. empt. l. 1. 2. & 9. ff. de eo qui certo loco. Ves. in paratit. h. tit. num. 5. l. si domus. 71. §. qui confitetur. 2. ff. de legat. 1.*

9. In heredibus tamen promissoris aliud jure receptum est, hi enim suæ partis præstatione obligationis nexu eximuntur, perinde ac si pars debiti natura dividui, consentiente creditore solvatur, tum enim pro parte soluta contingit liberatio, reliquâ in obligatione permanente.

*l. 2. §. 1. l. an execu. 85. §. 1. ff. de V. O. l. 1. C. si certum pet. §. idem Inst. V. & sicut. l. stipulatus. 9. §. 1. ff. h. t.*

10. Quod si debitor nec pecuniam, nec speciem debitam habere, nec possessiones, unde pecuniam paret vendere possit, creditor eas, præ viâ judicis æstimatione in solutum accipere compellitur.

*non dubium. 14 ff. de leg. 3. Novel. 4. c. ult. Auth. hoc nisi C. h. t. Corras. lib. 2. Miscell. cap. 3. n. 8.*

11. Civilis sive imaginaria solutio, quæ acceptiatio dicitur, est confessio accepti debiti, per stipulationem facta, quâ utriusq; contingit ab eodem nexu absolutio, estq; simplex, vel Aquiliana.

*§. 2. Inst. hic ibiq; Ves. l. 1. 5. 16. 17. ff. eodem. Cui. in paratit.*



paratit. C. hic. l. 15. ff. de transact. l. 3. C. de accept.  
Vultei cap. 55.

12. Simplex acceptilatio est, quæ simpliciter per  
mutuam interrogationem fit, & eas tantum obli-  
gationes, quæ verbis contractæ sunt, dissolvit.

l. 1. l. 7. l. 8. §. 3. ff. h. t. Cui. lib. 5. obs. cap. 36.

13. Aquiliana est, quâ quævis Iurisperitorum &  
plurium plerumq; ac diversorum debitorum obli-  
gationes, in stipulationem, ultrò citroque factam,  
novando transfunduntur, sicque tandem per acce-  
ptilationem tolluntur.

d. §. 2. Inst. hic. l. & uno. 18. ff. h. t. l. 3. C. eodem. l.  
Aquiliana. 4. ff. de transact. Alth. d. cap. pen.

14. Vtraque verò acceptilationis species, nec die-  
em, nec conditionem expressam recipit, sed solen-  
nibus verbis fieri debet, inutilis tamen acceptilatio  
etiam vim taciti pacti habet, per eamque & totum  
debitum, & pars stipulationis, rectè accepto ferri  
potest.

l. 77. ff. de R. J. l. 4. & 5. 8. 9. 10. 13. ff. h. t. d. l. 27. §.  
pen. ff. de pact. ibiq; Cui. l. 5. ff. de res. vend. Myns. in  
§ 2. inst. hic. Höt. quest. 34.

15. Novatione quoq; perimitur obligatio, quæ  
est prioris debiti in aliam obligationem translatio,  
mediante stipulatione facta, estq; personæ, vel rei  
debitæ mutatio, illa delegatio, hæc in specie no-  
vatio dicitur.

§ præterea. 3. Inst. h. t. nostro. toto tit. ff. & C. de  
novat. Cui. lib. 19. obs. cap. 36. Seb. Medices in tract.  
de novat. part. quest. 7. num. 32. & seq.

16. Novatio in specie dicta, est prioris debiti,  
& obligationis cujuscunque, in novam stipulatio-  
nem



nem transfusio, qua prior obligatio cum suis accessionibus, absque interventu novæ personæ tollitur, & is qui novavit ex posteriore obligatione tenetur.

*l. si Stichum. 8. §. 1. ff. h. t. & l. 2. C. eodem. Cui d. obs. 36. & in paratit. C. h. t. nost. Wesen. ad §. praterea. Inst. hic. num. 5. At b. d. c. pen. Gothofred. in notis. ad l. 11. ff. hic. arg. l. 45. in fin. ff. de reb. cred.*

17. Atque novationem quidem non modo stipulatio, sed & litis contestatio inducit, nec unquam hodiè celebrata censetur, nisi partes obligandi utrinque capaces novandi animum specialiter & disertè expresserint.

*l. 29. ff. hic. Ves. in paratit. num. 4. l. 1. & l. fin. C. eodem. ibidemq. Cui in paratit. & in notis ad inst. sup. b. tit. l. 83. §. 1. ff. de V. O. Gail. lib. 2. ob. 30.*

18. Delegatio species novationis generatim accepta, est debitoris, vel etiam utriusque commutatio, cum consensu delegati & creditoris.

*d. l. de legare. 11. ff. h. t. d. l. 1. & 6. C. eodem.*

19. Hoc amplius dissolvuntur etiam obligationes, contrariâ voluntate seu dissensu mutuo, si res adhuc est integra.

*§. fin. Inst. hic. l. prout. 80. ff. de solut. l. ab emtione. 58. ff. de pactis.*

20. Deniq; & aliis modis ipso jure, quæ sita tollitur obligatio, ut compensatione, confusione hereditatis, oblatione, depositione, & consignatione debitæ pecuniæ, congruo loco & tempore realiter facta, itemq; transactione, ac rei interitu, citra debitoris culpam contingenter proveniente, atque



atque aliis nonnullis, de quibus, ut & de iis qui  
pe exceptionis obligationes perimunt suo loco  
commodior & planior instituetur dissertandi ratio.

§. 30. & pen. Inst. de act. l. 1. ff. de comp. l. debitori.  
3. C. de pactis. l. 50. ff. de fideiuss. l. ob signatione. 6. C. de  
solut. l. si ex legati causa 23. ff. de V. O. l. 3. & 4. C. de  
transact. Contius & Vuesenbec. in comment. Inst. §. ult.  
h. t. Alth. lib. 1. l. R. cap. 69. Vultei alleg. lib. cap. 58. &  
trib. seqq.

### C O R O L L A R I A.

I.

**C**reditor invitus, etsi aliud pro alio recipere non  
tenetur, pecuniam tamen numeratam in alia mo-  
neta, quam accepit debitor, ei solvere potest, nisi  
creditori damnum inde emergeret.

*l. quæ extrinsecus. 65. ff. de V. O. l. Titia amica. 35.  
de sur. & arg. leg. l. 10. §. 2. de condict. indeb. l. 24. ff.  
depositi. l. 5. de imp. in res dot. factas. Hot. illust. quaest.  
15. Cui. in Novell. 4. & in l. 59. de V. O. l. 99 ff. de solut.  
Soarez. in com. op. V. monetam. num. 105. Goth. ad l. 3.  
ff. de reb. cred.*

2. Si monetæ valor extrinsecus ante solutionis  
diem accreverit vel decreverit, quaritur, à quo tem-  
pore æstimatio sit ducenda, an contractus quo mi-  
nimi, an solutionis quo majoris precii aurei sunt,  
an & sententiæ? Et verius ac æquius videtur, ut in a-  
liis reb. sic & in reddenda pecunia (cujus valor & æ-  
stimatio non à privatis sed à magistratu pendet)  
mihi contractus tempus inspiciendum esse.

*d. l. 65. ff. de V. O. arg. l. 7. ff. de aur. arg. leg. Hot. d. quæ  
ill 15. Corras. lib. 3. Misc. cap. 13. n. 5. Vues. in paratit.  
de reb. cre. n. 12. & Goth. in not. ad d. l. 3. eodem. Myn. ce.  
4. obs. 1. Const. elect. part. 3. c. 28. Soarez. in commor.  
sub tit. m. n. 201.*

F I N I S.



99 A 6904

ULB Halle 3  
004 976 38X




TA 30L











POSITIONES  
DISPUTATIONIS VLTIMAE  
*libri 3. Institut. Imp.*  
DE MODIS  
TOLLENDARVM  
OBLIGATIONVM  
*Ex tit. fin. eiusdem libri, & cognatis Iuris  
Civilis textibus collecta*  
Quas  
*Divinã favente clementiã*  
SVB PRAESIDIO  
*Nobilissimi ac Clarissimi Viri*  
D. N. ARNOLDI DE REYGER,  
I. C. Præstantiss. & in celeberrima Acade-  
mia Ienensi, publici II. Profes-  
soris solertissimi  
*Pro ingenij modulo defendere  
conabitur*  
CASPARVS à TEVTLIBEN  
Ad diem XVI. Aprilis  
*Horã locoq. consuetis.*  
IENAE  
*Ex Typographéo Tobia Steinmanni.*  
Anno M. D. VC.